




35

Eq. 169.

25

5






2
EPITOME
METAPHYSICÆ

Ex optimis auctoribus selectæ,

pro Juventute

GYMNASII RATISPO-
NENSIS.



NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOHANNIS TAUBERI,
Typis CHRISTOPHORI GERHARDI.

ANNO M. DC. LXIV.

PHYSICA
METAPHYSICA

In optimis orationibus

GYMNASII RAVENNAE



PHYSICAE
METAPHYSICAE

In optimis orationibus

GYMNASII RAVENNAE

In optimis orationibus

GYMNASII RAVENNAE

In optimis orationibus





PROOEMIUM.

Ornelius Martini Celeberimi nominis Philosophus, qui inter primos Germaniæ Scholis hanc Disciplinam certâ Methodo tradidit, duo inprimis observavit;

1. Fieri non posse, ut Logica rectè explicetur, quin identidem mentio fiat Metaphysicæ; adeoq; neglectâ Metaphysicâ frustra in Logicis sudari:

2. Scholasticos, neglecto scientiæ ordine & Methodo, tantùm quæstiones ex Aristotele excerptæ: quæ ut sanè gravissimæ sunt; itâ cujusvis attentionem possulant, & merentur: tamen iis nihil aut parùm juvari posse tyrones, in Præfat. ad Studiosos.

3. Quare post Logicæ præcepta statim hanc doctrinam subungere, & ex eâ puerorum usibus tantùm illa delibare visum, sine quibus nec in Logicis, nec in cæteris Encycliis disciplinis progredi posse arbitrabat. Præmittam autem pauca ediscenda, de Philosophiâ in genere, de quâ suprâ quidem, sed magis Philologicè actum est.

SECTIO I.

De Philosophiâ.

1. Philosophia, vetustissimâ definitione, rerum divinarum humanarumq; scientia est.

A 2

2. Scien-

2. *Scientia* dicitur latiore vocabuli usu, q. d. esse *γνώσις* non tantum contemplativam, sed etiam activam cum rectâ ratione.

3. *Res divinae* sunt, quæ ad Deum spectant, aut ab ejus Voluntate dependent, ut per naturam aliter se habere non possint; in quarum solâ contemplatione intellectus acquiescit.

4. *Res humanae* sunt, quæ à nostro pendent arbitria, ut aliter se habere possint; in quarum actione intellectus quiescit.

5. Undè constat Philosophiam, sic dictam, non esse *habutum animi* per se unum; sed ex pluribus, *Sapientiâ*, *Scientiâ* propriè & strictè dictâ, ac *Prudentiâ compositum*.

6. *Partes* itaq; ejus, vel *species*, duæ sunt: prior & nobilior *Theoretica*, sive *Contemplativa*, rerum divinarum, quæ à nobis non fiunt, sed ad cognitionem veri spectantur.

7. Posterior *Practica*, sive *Activa*, rerum humanarum, quæ à nobis fieri possunt & debent, ut Bonum cognitum appetamus, malumq; fugiamus: quod etsi minus nobile, magis tamen in vitâ utile est.

8. Constat igitur Philosophia *habitu Sapientiæ & Scientiæ*, ut verum rectè contempletur; & *Prudentiæ*, ut bonum benè agat.

9. *Sapientia* contemplatur summa Universalia, quæ *Transcendentia* dicuntur, quòd omnes rerum classes, sive *Predicamenta*, transcendant, & in omni genere reperiantur, ut sunt; unum, verum

verum, bonum, &c. ut *Metaphysica*; τὰ μετὰ τὰ Φυσικά.

10. *Scientia* considerat vel *naturam corporis naturalis*, τῶν αἰσθητῶν, rerum sensilium, ἐκ θεωρητικῆς ὄντων, quæ in materiâ immerse sunt, ut sine eâ intelligi non possint, earumq; affectiones per causas demonstrat, ut *Physica*, περὶ φύσεως:

11. Vel *Quantitatem*, ut est abstracta ratione à materiâ Physicâ, ejusq; affectiones per causas demonstrat; ut *Mathematicæ* disciplinæ, puræ & simplices dictæ, τῆς μαθητικῆς: quæ sunt *Arithmetica* & *Geometria*.

12. *Arithmetica* spectat numerum; *Geometria* mensuram: utroq; quatenus νοητὰ intelligibilia sunt, & ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα, à materiâ mente abstracta.

13. Ex utroq; genere, *Physicâ* & *Mathematicâ* purâ, oriuntur *scientiæ mixtæ ac compositæ*; quarum aliæ considerant *quantitatem in ipsis corporibus naturalibus*; ut numerum in rebus numerabilibus, *Logistica*, ἀπὸ τῆς λογίζεσθαι, à ratiocinando, quæ est *Arithmetica Practica*, *Vulgaris*, *Astronomica*, *Geometrica*; mensuram in Cœlo, & Terrâ, ut *Astronomia* & *Geographia*.

14. Aliæ *quantitatem* contemplantur, in quibusdam *qualitatibus*: ut numerum cum sono, *Musica*; mensuram cum luce & colore, *Optica*.

15. Deniq; principiis *Mathematicis* utuntur quædam disciplinæ, quæ *Artibus* rectè annunciantur

rantur, quòd pro fine habent *ποιήσιν* operis alicujus productionem; quales sunt; *Architectonica, Gnomonica, Graphice, Catoptrica, Mechanica*; quæ Quantitatem spectant *in figurâ*, ad fabricandum, aut efficiendum, ædificia, solaria & horologia Scia-terica, picturarum lineamenta, specula, machinasq; & alia miranda artificialia.

16. Quædam etiam, quæ *scientiis accedunt*, & in contemplatione acquiescunt: Sic ad Arithmetica Astronomicam accedit *Chronologia*, quæ considerat quantitatem in duratione temporis; ad Geometriam, *Geodæsia*, quæ spectat magnitudines mensurabilium; ad Logisticam vulgarem, *Statica*, quæ numeros expendit in pondere gravitatis aut levitatis; ad Astronomiam, *Astrologia*, quæ ex causis aut signis cœlestibus futura speculatur, &c.

17. *Prudentia Practica* est, & informat mores actionesq; humanas, regitq; appetitum cum rectâ ratione, in fugâ mali moralis, & appetitione boni. Estq; vel communis, quæ dicitur *Ethica*; vel specialis, quæ *Politica*; ad quam *Prudentia Polemica, Oeconomica, Scholastica*, referuntur.

18. Superfunt disciplina summæ, quas hodiè *Facultates* appellant, quæ à Philosophiâ suâ quædam principia accipiunt, & non tam in Contemplatione, quàm in Actione acquiescunt; quales sunt *Theologia*, quæ partim naturalis est, partim & ad æternam salutem sola, revelata; *Juris prudentia,*
& Me.

¶ *Medicina.* Ubi desinit *Metaphysicus*, ibi incipit *Theologus*; ubi *Ethicus*, *Jurisconsultus*; ubi *Physicus*, ibi *Medicus*.

Atque hæ sunt Disciplinae ferè illæ, quibus hominum animi perficiuntur, ut & verè homines simus, & Deo quodammodò reddamur similes: quas veteres uno nomine *Philosophiæ* complexi sunt.

Notet juvenis, de singulis ferè in *Atrio Latinitatis* actum esse, ex antiquis Latinis autoribus, ut gustum aliquem indè possint percipere; addo itaq; indiculum:

1. De *Theologiâ* verâ & falsâ, capp. 1. 2. 60. 61. 98. 99. 100.
2. De *Jurisprudentiâ*, capp. 63. 64.
3. De *Medicinâ*, capp. 21. usq; 25. & cap. 81. ac 97.
4. De *Physicâ*, capp. 2. & seqq. usq; ad 29.
5. De *Mathematicis* puris & mixtis, capp. 73. usq; ad 80.
6. De *Logicis*, capp. 70. 71. 72.
7. De *Ethicâ*, capp. 82. usq; ad 96.
8. De *Politicis*, capp. 54. usq; ad 69.
9. Deniq; de *Variis Opificiis*, artibusq; *Chrematisticis*, à cap. 30. usq; ad 53.

SECTIO II.

De *Metaphysicæ* Objecto ¶

Principiis, ἀρχαῖς.

1. *Metaphysica* propriè *Sapientia* est, quæ contemplatur *Ens*, quatenus *ens* est.
2. *Objectum* itaq; ejus *materiale*, sive *res* considerata,

siderata, est *Ens*; *formale*, sive modus considerandi, *quatenus est Ens*.

3. In quo à cæteris disciplinis differt: Sola enim spectat *Ens*, quâ tale est; scilicet quatenus ut primum ac summè *Universale*, ab omni materiâ, re & ratione abstractum, intelligitur: ut mox patefcet.

4. Agendum itaq; 1. in *επιδημεια*, de *Ente*, & *Principiis* ejus demonstrationis, 2. in *θεωεια*, de *Entis affectionibus*, quas *Metaphysicus* demonstrat, & 3. de *Entis quasi speciebus*, in *δενθεωεια*.

LECTIO I.

De ENTE, ejusq; Principiis.

5. *Entis* vocabulum vel *participialiter* accipitur, vel *nominaliter*: Participialiter, idem est quod *existens*, sive quod actu est, extra suas causas; ut sunt omnia visibilia & invisibilia in toto Mundo.

6. Nominaliter, quod *simpliciter est*, sive existat reipsâ, sive existere possit; ut est homo nasciturus, rosa in hieme.

7. Deindè *Ens* distingui solet in *Reale* & *Rationis*: *Reale* est, quod citra & extra operationem intellectus est aliquid: *Rationis*, quod mente excogitatur, & extra intellectum nihil est; qualia sunt ficta, ut *Chimæra*.

8. *Ens Reale* verò vel *incomplexum* dicitur, quod unico entitatis conceptu intelligitur esse; ut homo, spiritus: vel *complexum*, quod plures conceptus animo objicit; ut homo doctus, spiritus bonus.

9. *Ens*

9. *Ens incomplexum re*, sive unâ voce significetur, ut animal; sive pluribus, ut corpus animatum; *est ens reale per se: Complexum*, ex substantiâ & accidente, ut homo albus; ut & quod *ens aggregatum* dicitur, ut exercitus, Respublica, acervus; *est ens per accidens*: ita scilicet ens, ut & unum est.

10. Ens igitur quod Metaphysicus contemplatur est *Ens nominaliter dictum*, reale, *incomplexum*, & *per se*: cujus affectiones demonstrandæ sunt.

11. Porrò in omni *intellectione* est 1. *Objectum*, 2. *Conceptus*, de illo: quem sequitur 3. *vocabulum*.

12. *Objectum* est res reive ratio, quæ ad intelligendum menti per speciem quandam intelligibilem objicitur, & ideò vulgò dicitur *Conceptus objectivus*, ut sunt omnia quæ intelligi possunt.

13. *Conceptus* est νοῖμα sive imago & *notio*, ab intellectu formata rem objectam repræsentans: eaq; vel *prima*, quæ formatur cognitione directâ, absolutâ; ut cùm intelligo corpus vivum, esse animal: vel *secunda*, quæ formatur cognitione reflexivâ, comparatâ; ut cùm animal respectu inferiorum intelligo, esse aliquid pluribus commune, eandem naturam participantibus. Hæc notio vocatur *Conceptus formalis*.

14. Huic notioni imponit tandem intellectus *ad placitum σύμβολον* aliquid, id est, *Vocabulum*: quod vel *primam* notionem significat, ut cùm dico; hoc est animal: vel *secundam*, ut cùm dico; animal est genus respectu hominis & bruti.

15. Considerat autem Metaphysicus *Ens* in primâ notione, sed *ut universale quid*, ab omnibus quæ sunt & intelliguntur præcisum, quod in omnibus & singulis mens esse intelligit, & *in conceptu formali* reipsâ ac nomine quoque unit.

16. Sub hoc igitur conceptu entis communissimo & universalissimo continentur Deus & Creaturæ, substantiæ & accidentia; sed quatenus Entia sunt, communesq; habent quasdam affectiones, naturali lumine cognitæ.

17. Hinc axiomata: 1. *Ens quatenus ens primum cognitum est*. Nihil illo prius est, aut intelligi potest. 2. *Ens ergò definiri nequit*: 3. *Neg, habere potest principium essendi*; quia ut primum concipitur: primo autem nihil prius, nisi detur progressus in infinitum.

18. Nota autem: Ratione quâdam intelligitur *Essentia* entis principium quasi formale, per quam *Ens* hoc est, quod est. *Est enim Ens quod habet essentiam*, aut quod per *essentiam esse intelligitur*.

19. *Essentia* est primum quasi momentum, quo aliquid esse intelligitur: *Existentia* verò secundum est, quo aliquid non esse tantum, sed & existere actu ipso intelligitur.

20. In solo Ente increato, Deo, hæc duo unum & idem reipsâ sunt. Cætera omnia sic sunt, ut vel aliquando non extiterint, vel & non existere possint.

21. *Deus*, *Ens Entium*, ὄντως ὄν, sic sub communi Entis conceptu comprehenditur, ut omnem
com-

comprehensionem transcendat. Quare quicquid de Deo concipitur, ab omni conceptus imperfectione liberandum & abstrahendum est. Sic dixit Gregorius Nazianzenus v. gr. *Generationem Dei silentio colendam.*

22. Habet tamen Ens *Principia cognoscendi*: eaq; vel *incomplexa*, ut sunt quædam ejus affectiones, ex quibus aliæ demonstrari possunt; vel *complexa*, quæ sunt axiomata per se cognita: quorum hoc primum est; *Impossibile est, idem esse & non esse simul.*

SECTIO III.

De Entis Affectionibus,

θωεία.

23. Enti, quod primum cognitum est, inesse demonstrantur, quædam *πάθη*, sive *attributa*; eaq; vel *simplicia*, uno conceptu intelligenda, uti vulgò *Transcendentia* dicta; *Unum, verum, bonum*; quibus aliqui addunt, perfectum, ut & *Rem & Aliquid.*

24. Vel *disjuncta*, quæ disjunctivè attribuuntur Enti, idq; distinguunt. Philosophi nec in ordine, nec in numero conveniunt; res non magni momenti est.

LECTIO II.

De Affectionibus simplicibus, Uno & Vero.

25. UNUM dicitur Ens quatenus est indivisum

visum in se & divisum ab alio. Omne quod est aliquâ ratione unum est.

26. *Per se* quidem unum sunt, 1. unitate generica, homo & asinus, quorum unum genus est, animal: 2. *Specificâ*, Petrus & Paulus, quorum una species est, homo: 3. *Numericâ*, quæ maximè indivisa sunt, ut quæ *individua* dicuntur, de quibus postea.

27. *Per accidens* unum sunt, quæ vel *reipsâ* *divisa* sunt, & unum tantum *per aggregationem*, sive ea sit *ordinata*, ut in exercitu & civitate; sive *inordinata*, aut *confusa*, ut in acervo tritici:

28. *Vel reipsâ* quidem unita, sed tantum accidentaliter; sive *dua substantia* uniantur $\text{ἢ} \text{ἰσῶσις}$, unione societatis & auxilii, ut duo amici, aut socii viatores; aut per $\text{ἢ} \text{ἰσῶσις}$, ut duo asseres conglutinando; sive *substantia & accidens*, ut homo doctus; sive *duo accidentia*, ut Musicus Æthiops.

29. Sunt & alii non pauci modi *unitatis & unionis*; ut *Physica* naturalis, quando vel *partes* cum toto & inter se, vel *dua nature* incompletæ ad unam completam junguntur; ut manus, brachia, & cætera cum corpore: Item anima & corpus ad constituendam naturam animalis.

30. Vel *Ethica* moralis, $\text{ἢ} \text{ἰσῶσις}$, ut quando Rex & Legatus, maritus & uxor, pro uno habentur, propter mutuum respectum, & relationem unius ad alterum.

31. Vel *hyperphysica*, mystica & supernaturalis, quæ *Metaphysicæ* sphaeram transcendit, & Theologiae

logicæ contemplationis est; ut est unitas Essentialis, Personalis, Spiritualis, Sacramentalis, de quibus omnibus D. Chemnit. de Duab. Nat. cap. 7.

32. Denique tot sunt modi Unius, quot Entis: nam *ab uno, in unum, & ad unum tendunt omnia*: sublatâq; unitate, tollerentur omnia.

33. VERUM, id est quod caret fictione, vel non habet solum apparentiam. *Veritas Metaphysica* est conformitas rei & intellectus; sive cum res ita est, uti secundum essentiam suam intelligitur, vel intelligi debet & potest.

34. Sic *Veritas Physica* est, quâ res tales sunt *naturales*, quales ab intellectu divino productæ sunt, & à nostro intelligi debent: sic Verus homo dicitur, verus ignis, &c.

35. *Veritas technica*, quâ res artificiales sunt tales, quales mens artificis concepit, & esse voluit juxta artem: Sic ergo omnes res creatæ *veram entitatem* habent, quando conformes sunt idæ in mente divinâ: & artificialia tunc vera sunt, quando respondent idæ in mente artificis sui, ut verus calceus, &c.

36. Itâ *veritas Theologica* rerum divinarum est, cum tales sunt, quales à Deo cognoscuntur, & à nobis juxta revelationem Dei factam cognosci debent; sic Christus est Verus Deus.

37. *Veritas Logica* est quando conceptus formalis, sive *notio rei* conformis est cum conceptu objectivo, sive *cum re intellectâ*, ut cum concipitur mulus quod extra intellectum per se; non ut equus, quod non est, nec concipi potest, nisi per errorem, & falsi-

& falsitatem. Hinc oritur *Veritas propositionum*, in compositione & divisione, & porro in *Διαβολα* in *discursu*.

38. *Veritas Ethica* virtus est, quæ opponitur mendacio & hypocrisi, de quâ suo loco.

39. *Veritas* ergo *Metaphysica* inest enti per se, per sua principia, in essendo. *Verum vero non repugnat*, sed consonat.

LECTIO III.

De Bono & Perfecto.

40. **BONUM** est Ens quatenus conforme vel conveniens est voluntati, ut in eo sibi complacere, & id appetere possit.

41. Ità *omnia à Deo creata bona sunt*; vidit enim per *Evδonia* complacentiam *bona esse*; ideoq; prævisa creare, creata in præsens approbare, & deinceps conservare voluit.

42. *Creator* verò ipse bonus est, *per se & independenter*; quia sibi ipsi convenit. sufficit, in seipso complacet & acquiescit; & *originaliter*; quia cætera omnia ab ipso per participationem bona sunt, quatenus voluntati ejus conveniunt.

43. Atq; hoc est *bonum Transcendentale*, sive *Metaphysicum per se*; cui subest *bonum Naturale*, quod propter bonitatem naturæ appetibile est, ut cibus animali: & *bonum Morale*, quod appetitur vel propter *honestatem*, ut *Virtus*; vel propter *utilitatem*, ut *divitiæ*; vel propter *jucunditatem*, ut *Voluptas*.

44. Bo-

44. *Bonum* verò per accidens dicitur, quod vel propter aliud est bonum, ut potio amara propter salubritatem: vel alicui, ut missio sanguinis plethorico; vel aliquando, ut cœlibatus propter instantem necessitatem; vel in comparatione alterius, ut jactura in metu naufragii: quæ ut talia per se non sunt appetibilia; sed quatenus entia sunt, etiam transcendenter bona sunt, & per se.

45. Denique *Bonum* aliquid apparenter dicitur, quod tamen verè & per se malum est, ut furtum propter divitias, adulterium, propter voluptatem: *Sub specie enim boni mala appetuntur.*

46. *Perfectum* & *Pulchrum* cum *Bono* convertuntur: *Perfectum* est bonum, cui ad essentiam suam nihil deest, ut appetibile sit sub ratione hujus perfectionis: *Pulchrum* est bonum appetibile, sub ratione pulchritudinis.

47. *Nullum ergò Ens per se, quatenus tale, imperfectum est.* Nihil deesse potest Enti ad perfectionem suæ essentia. *Quicquid est suo genere perfectum & pulchrum est.*

48. *Solus Deus simplicissimè perfectus est, omnesq; habet perfectiones, absolutè in omni genererum, formaliter, sed καθ' ὑπεροχὴν, essentialiter: respectivè verò in certo genere, eas quæ creaturis propriæ sunt, tantùm Virtualiter, eminenter.*

49. *Res* & *Aliquid*, non attributa Entis sunt, sed Synonyma sunt; sic tamen ut *Res* propriè significet *Ens reale*, ejusq; essentiam: *Aliquid* non Enti opponitur, & aliquando nulli Enti. vide mox num.

55. 56.

LE-

EPITOME
LECTIO IV.
Opposita.

50. *Enti opponitur non - Ens, Uni multa, Vero falsum, Bono malum, Rei non-Res, τὸ Aliquid nihil. De his ergò etiam nonnihil dicendum est.*

51. *Non - ens variè dicitur: aliquando simpliciter & absolutè, quod planè nihil est, Verè non-ens, & negativè, quod nec intelligitur, nec potest intelligi: Ità non-entis nulla sunt causse, nulla accidentia:*

52. *Aliquando, respectivè, quod non planè nihil est, etsi non sit Verè Ens: talia sunt quæ dicuntur Non-ens privativè, quæ tamen aliquæ respectu sunt aliquid, ut umbra in superficie, cæcitas in oculo.*

53. *Item, quæ comparatè Non-ens, quia imperfectam habent essentiàm, & ad nihil tendunt; sic materia per se, ut ait Augustinus, propè nihil est: Sic totus homo nihil est, & mera vanitas, Psalm. 39. 7. & omnia vanitas, Proverbio vulgato, ex Eccl. 1. 2. τὸ ὅλον κενόν!*

54. *Item quæ tantùm per ἀναλογίαν concipiuntur ut ens; ut sunt ficta, entia rationis, & quæ cunque in solo intellectu sunt aliquid, & ad modum aliquem veri entis intelliguntur.*

55. *Nihil aliquando dicitur, quod est non-ens; aliquando quod est nullum ens. Sic ex nihilo nihil fit, id est, ex eo quod est non-ens, nullum ens fit.*

fit. Vide elegantissima carmina de *Nihilo*, collecta à Dornavio in Amphitheatro Socrat.

56. Dicitur autem *Nihil* tot modis, quot ejus oppositum *Aliquid*. Est autem aliquid in *latâ* significatione, idem quod *ens*, eiq; æquipollet; *strictius*, idem quod *ens reale*, positivum tantum, quod aliquam habet *quidditatem*, & Res est: *Strictissime* quibusdam, quod habet essentiam ab alio distinctam, & est *aliud quid*, unum ab alio divisum.

57. Multum & multa ex opposito dicuntur ad unum. Itaq; *per se multa* sunt quæ actu ipso divisa sunt, aut reverà dividi possunt: Ità *quæ per accidens unum sunt*, *per se sunt multa*; & contrà, *quæ per se unum sunt*, *per accidens sunt multa*.

58. *Multitudo* autem vel *transcendentalis* est, vel *predicamentalis*: illa in omnibus divisis aut divisibilibus intelligitur; hæc in solis rebus materialibus, ut *numerus*; qui efficitur divisione *Quantitatis* continuæ, juxta Aristotelem. Sic, ut Idem, *multitudo est id, quod in non continua divisibile est*.

59. Nulla multitudo est quæ non unitate transcendentali contrahatur, nec de Ente participat, nisi ratione unitatis. Ergò *omnia multa in uno conveniunt*; *Multæ partes, unum sunt toto*; *multa numero, unum specie*; *multa specie, unum genere*; *multa accidentia, unum subjecto*; *multa processibus, unum principio*, ut ait, Dionysius, qui vulgò *Areopagita*, de *Divin. Nominib. cap. 13.* Quare etiam *nulla multitudo actu infinita est*. Finitur enim ab uno transcendentali.

60. Falsum tot modis dicitur, quot oppositum illi Verum: *Falsum* autem *Metaphysicè*, quod non habet essentiam, nisi per fictionem intellectus. *Falsitas ergò non est in Ente, sed in intellectu*, Falsum & non - ens convertuntur.

61. *Falsum nullum ens est ab intrinseco*; dicitur autem aliquid falsum tantum *extrinsecâ denominatione*, ut falsum aurum, quod aurichalcum verè est.

62. Oritur hæc falsitas ex ignorantia aut errore intellectus, quando decipitur à sensibus, *per apparentiam*, aut *similitudinem* ejus quod verum est.

63. Malum, bono transcendentali oppositum, non est positivum quid, sed privatio, sive carentia boni. Itaq; *nullum ens, per se, malum est. Mali nulla est essentia, nulla causa, nulla affectiones.*

64. *Malum poenæ est privatio boni, naturalis aut gratiosi, debiti inesse naturâ vel gratiâ*, ut cæcitas visus, morbus sanitatis, mors vitæ, &c.

65. Hoc bonum quid est, quatenus poenâ est; non quidem *transcendentaliter*, & per se: sunt enim privationes, quæ, quâ tales, non sunt entia per se: sed *relativè & per accidens*, v. gr. *originaliter*, quia à Deo justo & bono; *consequenter*, quia aliquid bonum per tales privationes à Deo intenditur, & efficitur; *quasi formaliter*, quia subjecto tribuuntur talia per modum habitus, & formæ inhærentis, ut cæcitas oculo; & *comparatè*, respectu alterius, sive verè mali, sive apparentis; Sic cæcitas corporalis bona est, respectu cæcitatibus spiritualibus; mors naturalis, respectu æternæ; morbus respectu mortis.

66. Ma-

66. *Malum culpæ* est privatio boni *moralis*, sive *Honesti*, jure debiti inesse; ex creaturæ rationalis voluntate deficiente ortum, & divinæ voluntati repugnans.

67. Hujus *materiale*, actio scil. aut habitus, aliquid positivum & adeò bonum transcendentaliter est; sed *formale*, defectus scilicet in actione, aut vitium in habitu, *abstractivè* spectatum, malum & adeò non-ens est; adeoq; nec essentiam habet, nec causam efficientem: undè & per ἀνομίαν definitur.

Hæc de attributis Entis simplicibus: sequitur

LECTIO V.

De Disjunctis, Primis: Actu & Potentiâ.

68. *Disjunctæ affectiones Entis*, quibus distinguitur, aliæ sunt *primæ* & *immediatæ*, quia Entis naturam immediatè consequuntur; aliæ *ortæ* & *mediatæ*, quæ mediante aliquo simplici attributo Enti conveniunt.

69. Immediatè igitur Ens 1. aliud est *Actu*, aliud *Potentiâ*: 2. aliud *Necessarium*, aliud *contingens*.

70. *Actu* est, quod existit, & est extra suas causas; ut flos vernus; *Potentiâ* est, quod etsi non existat, tamen esse potest, & jam est in suis causis, ut flos in hieme, adhuc in bullo suo, aut radice.

71. Vocabulum *Actus* variè usurpatur: Re-
B 2 spectu

spectu intellectus, ut in *Logicis*, in significatione tamen *Metaphysicâ*, actus distinguitur in *Signatum & Exercitum*: respectu voluntatis, ut in *Ethicis*, in *Elicium & Imperatum*, in significatione morali, pro actione.

72. *Actus Signatus* dicitur, quò res intelligitur *formaliter*, abstractè à singularibus, in quâdam *Ideâ Universali*, ut est *Genus*, *species*, *caussa* &c. quæ communi definitione suâ signantur, & proprio sub signo concipiuntur.

73. *Actus Exercitus* dicitur, quo res intelligitur *materialiter*, & concretè in suis singularibus, ut est, & existit; ut animal, homo, Petrus, artifex quæ concipiuntur in particulari, non in communi. Sic *Genus predicatur de Specie*, non in actu signato, per communes notiones, & nomina sua propria; non enim *Species est Genus*: Sed in actu exercito, per exempla particularia; verè enim dico: Homo est animal, ubi homo est species, animal genus.

74. *Actus voluntatis elicitus* est, quem per se & immediatè producit; *imperatus*, qui producitur mediantibus aliis potentiis, voluntatis imperio. Sic quoq; actus religionis elicitus & per se est, colere Deum; imperatus, consolari viduas, Jac. i. ult.

75. In *Metaphysicis* Actus vel substantiam significat completam, vel nudam propriè dictam *formam*. Quod ad substantiam, Actus purissimus & simplicissimus est solus Deus, excludens omnem potentiam passivam, cùjus esse est existere, & cùjus potentia actus. Cætera omnia actus sunt impuri, etc.

etsi comparatè alia magis pura, alia magis impura sint.

76. Sic *Angeli actus puri* dicuntur, quia sunt immateriales; ut & *anima* per se spectatæ: Impuri tamen illi, quia Actu & potentiâ constant; hæ verò etiam magis, quia in materiâ existunt, ut formæ. Sic dicitur; *Actus quò magis formascunt, eò puriores sunt, & ad Deum accedunt*; contrà, quò magis *materialescunt, eò sunt impuriores, longiusq; a Deo recedunt.*

77. Quando verò actus pro formâ nudâ ponitur, respicit vel *potentiam*, vel *essentiam*: Cùm *potentiam*; *Actus est qui actuat & perficit aliquam potentiam*; sic formâ perficit materiæ *potentiam passivam*: actio verò perficit formæ *potentiam activam.*

78. Cùm *essentiam*; *actus est, qui dat esse rei, estq; forma vel substantialis, vel accidentalis.* Hinc distinctio in Actum primum & secundum.

79. *Actus primus* dicitur ipsa forma, sive *ἐν τελέσει* perfectio, quatenus est principium actionis aut passionis: *Actus verò secundus*, ipsa operatio, aut passio, sive *ἐν ἐργεία*. Sic infans rationalis est actu primo; etsi nondùm ratione utatur actu secundo: visibilitas actus primus est, ridere secundus: Scientia actus primus, *θεωπεῖν* actus secundus.

80. *Actus primus* distinguitur 1. in *actum essentia*, & *existentia*, 2. in *actum formalem* & *entitativum*. *Actus essentia* est cùm res verè est, & apprehenditur per suam definitionem, etiamsi de facto

non extaret: *Actus existentie*, cùm jam existit, & tunc dicitur *Ens Actuale*, *Ens in Actu*.

81. *Actus formalis* est forma informans actu ipso, per quam res est quod est, & quod existit: & solis rebus ex materiâ formâq; compositis convenit. *Actus Entitativus*, est ipsa rerum quidditas, aut entitas, quæ formam non habent; ut Deus, Angeli, materia prima, satis de Actu, ex quo intelligitur.

82. *Potentia*: Accipitur autem hoc vocabulum, vel prædicamentaliter, vel transcender: *Potentia prædicamentalis* Qualitas est, de quâ infra: *Transcendentalis* vagatur per omnia genera, & non manet superveniente actu, sed recedit: nam quod *actum habet, & actuale ens est, non retinet potentiam, nec amplius est ens potentiale.*

83. Hæc igitur potentia est, *que potest in actum deduci*, aut actuari: Estq; vel rei producendæ, *Objectiva*, quâ res ab agente, cujus objectum est, producibilis est; sic mundus erat in potentiâ objectivâ ante creationem:

84. Vel rei productæ, eâq; *vel Activa* ad agendum, *vel Passiva* ad patiendum, sive recipiendum: illa est *quâ aliquid est aptum ad producendum aliquid*; hæc, *quâ aliquid est aptum ad patiendum, aut recipiendum aliquid*: Sic Oculus habet potentiam videndi activam & passivam:

85. Vel in solo producente, aut agente, quæ tantum *Activa*; sic in Deo infinita est, nec ab essentiâ re differt, undè & *Actus simplicissimus* dicitur.

citur. At in materiâ sola est potentia Passiva, recipiendi formam, undè & pura potentia dicitur.

86. *Potentia Dei vel absoluta* est, quâ omnia potest facere quæ vult, quæq; fieri aut esse possunt: vel *ordinata*, quâ potest, quæ Sapienter, justè, misericorditer, & veraciter vult. Potuit absolutè mundos producere plures: liberrimâ voluntate, pro Sapientiâ suâ produxit unum: quodq; finitum hunc fecit, non est defectus potentix Dei Activæ; sed in creaturâ impotentia Passiva, quæ non potest recipere infinitatem.

87. *Potentia Activa & Passiva* distinguuntur in *proximam & remotam*: Sic in semine proxima est potentia, ut fiat planta; in terrâ matre remota.

88. Utraq; vel est *Naturalis*, vel *Obedientialis*: illa quæ ex naturali aptitudine fluit, ut ab agente naturali in actum deduci possit; hæc quæ præter aut contra naturam ab agente voluntario: Sic ex aquâ per naturam fit vapor; Vinum supra & contra naturam; cerevisia, per artem. Sic asina naturaliter rudit, obedientialiter locuta est.

89. *Potentia activa* seorsum vel λογικὴ est, cum ratione; eaq; libera est, tam quod ad speciem actus, ut possit agere contraria; quam quod ad exercitium, ut possit agere vel non agere: Sic homo stare potest, vel ambulare, & neutrum.

90. Vel ἄλογον, merè naturalis, quæ ad unum determinata est, positisq; omnibus requisitis, & nullo impediante, non potest non agere, nec potest agere contrarium; ut lapis nullo impediante non potest non descendere.

De Necessario & Contingenti.

91. Ens necessarium dicitur, quod aliter se habere non potest; vel quod immutabiliter est id, quod est.

92. Dicitur autem à *Necessè*, tanquam sine quo res nec esse quidem possit; varieq; accipitur, undè versus:

Utile, perpetuum, sustentans, & violentum,
Quatuor expressè vox denotat ista, NECESSE.

93. Necessitas in *Logicis* est complexa, propositionum Apodicticarum: ut contingentià Topicarum, de quibus suprà cap. 4. sect. 5. in *Logicis*.

94. In *Ethicis & Physicis*. Necessarium idem sæpè quod *Violentum*. Necessitas *violentiæ Physicæ* est, dum resistentiâ naturali conjuncta, atq; opponitur *necessitati naturæ*: Sic Lapis naturaliter necessario descendit propter suam gravitatem; sed violenter quiescit, in manu v. gr. contranitando, & premendo deorsum.

95. Necessitas sive *Violentia, Liberè agentium*, ut in *Ethicis*, est *Coactio*, cum displicentiâ & renitentiâ patientis; eaq; opponitur *Liberò arbitrio*: sed de hâc in *Ethicis*.

96. Necessitas *Metaphysicè* dicta vel est *absoluta & interna* ex naturâ rei immutabili: Sic Deus non potest non esse bonus; ignis non potest non urere; peccator non-renatus non potest non peccare:

97. Vel est *hypothetica*, ex suppositione alicujus;

ejus; sic dicitur: *unum quodq̄, quod est, eo ipso dùm est, necesse est esse: Factum quod est, infectum fieri non potest.* Hominem, dùm liberâ voluntate aliquid vult, necesse est hoc velle, vide Augustin. 4. de Civ. Dei cap. 10.

98. Huic distinctioni convenit illa ex Logicis petita, & à Syllogismo, ad res ipsas translata; quod alia sit *necessitas consequentis*, rei in se spectatæ, & alia *consequentia*, quatenus cum aliis connectitur, aut alia supponuntur: Sic prævisa à Deo necessariò eveniunt, propter infallibilitatem præscientiæ: in se tamen, & ex causis suis proximis, Contingentia esse possunt, ac possent non fieri.

99. Denique aliquid *necessarium* dicitur *ad esse*, aliud *ad bene esse*: ad esse necessariæ sunt causæ producentes, & sustentantes, ut materia auri, ad aureum poculum: anima & alimonia homini: ad bene esse necessaria dicuntur, quæ utilia sunt & commoda, quæ *necessitas* vocatur *expedientia*, ut equo vehi in peregrinando, &c.

100. Contingens contra est τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶναι, quod potest aliter se habere, quia mutabiliter est, quod est. Neque enim necessariò connectitur cum suis causis, ut quæ casu vel fortunâ fieri dicuntur, quæq̄; liberè fiunt.

101. *Absolute per se & independenter* solus Deus est Ens Necessarium: cætera *dependenter*, & *ex hypothesi*, quatenus illa positis causis suis necessariò connectuntur.

102. *Contingenter* fit, quod velle ἴσως equaliter potest fieri, aut non fieri, ut quæ liberè fiunt;

vel $\omega\varsigma$ $\delta\pi\iota$ $\tau\delta$ $\pi\omicron\lambda\upsilon$, ut quæ naturales habent causas, quibus in actu positis & non impeditis, necessariò eveniunt, sed per accidens tantùm, ut plurimum; vel quod raro fit, sive naturâ ut deliquia Lunæ; sive casu aut fortunâ, ut fodiendo terram inventio thesauri, de his in Phycis.

103. Scientia est *necessariorum Contemplabilem*, quæ aliter esse non possunt: Prudentia per se *contingentium*; quia pendent à liberâ voluntate, quæ tamen necessariò *agibilia* sunt, ex necessitate præcepti, aut debiti, &c. Ars contingentium, quæ ex suppositione finis & usus, ad bene esse necessariò *factibilia* sunt.

104. *Possibile* dicitur, quod in potentiâ necessariò verum est, & actu esse potest, vel per se absolute, vel secundùm quid. *Impossibile* contrâ. Necessarium est ignem urere, & impossibile non urere per se: & tamen possibile est, ac contingens secundùm quid, non urere; quando cætera ad agendum necessaria absunt, aut quid impedit actionem, ut Daniel. 3. v. 94. *Tantum de Disjunctis attributis Primis.*

LECTIO VII.

De Disjunctis ortis:

105. Mediante Unitate per affirmationem, Ens 1. aliud est *Unversale aut Singulare*, 2. aliud *Totum aut pars*. Nam partes cum toto, & singularia cum suo universali, unum sunt:

106. Per negationem, Ens 1. aliud est *abs-*

absolutum aut respectivum, 2. aliud idem, aut diversum. Sub respectivo continentur, 1. principium & causa atq; principiatum & causatum, 2. abstractum & concretum, 3. Subiectum & adjunctum, 4. prius & posterius. Sub eodem & diverso comparata & opposita. De his, quoniam in Topicis dictum est, brevioribus esse licet.

1. De Singulari & Universalis:

107. Singularia sunt quæ non sunt communia, sed incommunicabilia, multis numero distinctis. *Universale* contra est unum aliquid ad multa pertinens, commune multis numero aut & specie distinctis.

108. Dicitur autem *singulare absolute*, quod est hic & nunc, & hoc aliquid, quod propriè unum numero, & Individuum; ut hic homo, Socrates; aliquando *respectivè* quod est: minùs universale, respectu ejus quod magis est, ut homo, respectu animalis.

109. Sic dixit Aristoteles; *faciliùs definiri singulare, quàm universale: ut Jurisconsulti; omnem definitionem esse periculosam: Quia minùs universalis* faciliùs cognoscuntur. At *absolute singularia* definiri nequeunt, & *singularium nulla est scientia.*

110. Sic *Inductio procedit à singularibus, utroq; modo dictis, ad universalis*; ut hoc vinum, & illud, & istud calefacit, &c. Ergò omne calefacit: & iterùm; homo nutritur, & bestia, & planta; Ergò omne corpus animarum nutritur.

110. Pri-

III. *Prima substantia* singulare quid est absolute: estq; vel *suppositum*, vel *Persona*. *Suppositum* est substantia singularis, completa, & incommunicabilis: *Persona* est suppositum intelligens, non sustentatum ab alio: Sic Bucephalus Alexandri est suppositum; ipse Alexander Persona.

III. *Deus* non est substantia prima prædicamentalis, id est, infima, sed Transcendentalis summa. Itaq; Individuum & singulare est seipso, non numero prædicamentali, sed naturâ. *Spiritus* individuuntur, ut v. gr. Michaël distinguatur à Gabriele, per actum essentiaæ suæ proprium, quo quisque singulariter est unus ab altero divisus.

III. *Cætera Individua* unius speciei, ut Petrus, Paulus, Socrates, Plato, distinguuntur à priori, per actum formæ, quatenus in materiâ sensili est: à posteriori, per accidentia individualia, quæ collectim in nullo alio reperiri possunt, ut dicitur;

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus;

Propria quæ septem continet omnis homo.

III. *Universale* dicitur 1. *in causando*, quod est causa universalis, ut Deus omnium; 2. *in prædicando*, quod de pluribus prædicari potest, ut sunt prædicabilia Quinque; Genus, Species, differentia, proprium, accidens: 3. *in Essendo*, quod pluribus aptum est inesse: prius *Physica*, alterum *Logica*, tertium *Metaphysica* contemplationis est.

III. Sic *Universalia* dicuntur *ἄνευ πολλῶν*, ante multa,

multa, ut Idææ in mente divinâ; alia *ἐν πολλαῖς*, *in multis*, ut naturæ communes in singularibus, de quibus h. l. & quædam *ὑποπολλῶν* *post multa*, ut dicta prædicabilia.

116. Universale *in essendo* spectatur vel *materialiter*, & est res apta esse communis multis, citra operationem intellectus, ut natura animalis in homine; vel *formaliter*, ut est res actu una, & indifferens ad plura: Sic non est aliquid Universale actu ante mentis operationem:

117. Fit autem tale *per intellectum*, partim *comparando*, inter se plura, quæ in uno convenire intelliguntur; partim *abstrahendo* & præscindendo differentias singularibus proprias, ut sola natura communis remaneat in intellectu. Sic Animal intelligitur esse quid Universale, quod postea Genus vocatur, quando hominem & bestiam, in individuis contempletur, & inter se comparo, ac differentias abstraho, non considerando.

118. Est autem hæc *abstractio* mentis *non realis* separatio, sed *intentionalis*, per intellectum, cum unum intelligimus, seposito altero; ut Corvus intelligi potest secundum se, sine suâ nigredine: diciturq; non *abstractio negativa*, quâ negatur hoc esse illud; ut cum dico, Corvus non est niger: sed *precisiva*, ut cum corvum definitio esse volucrem crocitantem, carnivoram: sine mentione nigredinis, &c. Vide infra num. 168. & seqq.

119. Pertinet huc distinctio inter *Commune* & *Proprium*: Commune est *communicabile*;

bile; Proprium incommunicabile: illud v. gr. animalitas in homine; hoc visibilitas.

120. *Proprium autem incommunicabile est specie differentibus: sed individuis suæ speciei, cuius proprium est, communicatur: ut risibilitas Petro, & Paulo. Ità propria non mutant subjectum, cuius propria sunt. Manet enim risibilitas in homine per inhætionem, nec alteri communicari potest, quod est non-homo.*

121. *Communicantur tamen propria unius aliquando unito, per accidens, possessivè ut usurpativè; ut in ferro ignito apparet, quod lucet & urit per proprietatem ignis propter unionem ferro ab igni communicatam.*

122. *Sic singulare incommunicabile est pluribus, quâ talia sunt, id est numero differunt. Quare etsi divina essentia singularis sit, tamen communicabilis est tribus personis, quæ non differunt numero, ut individua ejusdem speciei. Non enim tres Dei sunt, ut Abraham, Isaac & Jacob tres homines, Augustin. 7. de Trinit. cap. 6.*

LECTIO VIII.

De Ortis, ut 2. de Toto & Parte, ac Simplici & Composito.

123. *Totum multis modis dicitur: 1. Perfectionale, quomodo Deus, totus sensus, totus visus, totus auditus, totus anima, totus animi, totus sui, Plinio l. 2. cap 7. Ante omnia, post omnia, totus, unus, ipse, Scaligero &c. Totus scil. sine partibus, per se perfectissimus;*

124. Ali.

124. Aliter 2. *Potentiale*, vel *potestativum*, quomodo anima tota, cujus partes quasi sunt ejus potentia: Sic 3. *Totum per accidens*, ut & unum, *aggregativum*, ut totus acervus &c. Sed de his non agitur h. l.

125. *Totum igitur est quod continet partes*, sive quod constituunt suæ partes, & cum eo unum sunt. *Pars est quæ toto continetur*, & cum aliis totum constituit. Est autem totum vel *essentiale*, vel *integrabile*, vel *universale*.

126. *Totum essentiale est*, cujus partes sunt essentielles, id est, quæ totam compositi essentiam constituunt; ut in *Physicis* materia & forma: in *Metaphysicis*, actus & potentia, item genus & differentia, natura & suppositum, &c.

127. *Totum integrale est*, quod constat partibus integrantibus, sive materialibus & quantitativis; estq; vel *homogeneum* simile, cujus partes ejusdem essentia sunt cum toto, ut aqua, terra, aurum, &c. vel *heterogeneum*, dissimilare, quod habet partes *ὀργανικὰς*, *ἀνομοιομερῆς*, ut corpus humanum: hujus *membra* alia sunt *principalia*, quorum vel uno sublato tollitur totum, ut caput, Cor, &c. alia minus *principalia*, ut manus, digiti, pedes.

128. Atq; hæc sunt præcipuâ ratione *Totum Metaphysicum*, prius ἔλον ἑσιῶδες, posterius σύνολον. Accedit *Totum Universale*, cujus partes sunt vel minus *Universalia*, vel *singularia*, ut Genus & Species. Nam Species sunt quædam partes Generis, & individua speciei.

129. Huc

129. Huc igitur pertinet divisio Entis in Simplex & Compositum: *Simplex*, quasi sine plicâ, est quod caret compositione; *absolutè*, ut solus Deus; *comparatè*, quod aliquâ, ut ex materiâ & formâ; sic simplices sunt Angeli & Animæ. *Compositum* contrâ, quod ex unitis constat, in quâ dividi potest, ut omnia creata, aliquâ ratione.

130. Simplicitas unitatis summus gradus est, per quam Ens non tantum *indivisum* dicitur, sed etiam *indivisibile*. Itaq; quò quid *simplicius* est, eò *præstantius*. At in *Compositis* quò quid *magis Compositum* est, eò *perfectius*: quia multitudo formarum multiplicat perfectiones, quibus compositum longius recedit à materiæ imperfectione, quæ ad nihil proximè accedit.

131. Sunt autem *compositionis* varii modi: 1. est *ex esse & essentiâ*, quæ omnibus creatis actu existentibus competit: est autem compositio *non realis*, sed *rationis*, quæ in re tamen habeat fundamentum: nam esse, sive existentia, & essentia non differunt realiter, sed *ratione*, & quidem *ratiocinata*, ut ajunt; Quia entis essentia vera est, etsi actu non existat.

132. Deindè 2. est compositio *ex naturâ & supposito*, quæ in solis singularibus, sive individuis, locum habet: ea enim supposita dicuntur, & personæ: Est 3. *ex potentiâ & actu*: ubi potentia quasi materiæ rationem habet, & actus formæ.

133. Est 4. *ex Genere & differentiâ*, sive ex naturâ communi & superveniente differentiâ, quâ *genus*

nus ad certam speciem restringitur; ut animal per adjunctum rationale esse, ad hominem.

134. Est 5. *ex subjecto & accidenti*, quæ compositum facit ens unum per accidens, ut cum dico; Homo doctus: Item 6. *ex pluribus & accidentibus*, ut in Angelis, ex Sapientiâ, potentiâ, Sanctitate, &c. Sic in eodem homine pulchritudo, fortitudo, doctrina, variâq; scientiæ compositionem faciunt. Hæ compositiones ad Metaphysicam spectant, & omnibus creatis communes sunt:

135. Superest 7. *ex materiâ & formâ*, quæ corporum naturalium propria est, ex quâ oritur quoq; compositio *ex partibus quantitativis*, sive integrantibus, de quibus modò, num. 126.

136. Hic ergò agendum quoque est, *de Genere, Specie, Differentiâ & Accidenti*, de quibus Porphyrius in *Isagogâ*: Verùm quia hæc in solis entibus creatis prædicamentalibus, reperiuntur, rectius differuntur, in partem specialem, de *Entis* quasi speciebus.

LECTIO IX.

De absoluto & respectivo, quæq; sub hoc continentur: in primis *Causâ* & *Causato*:

137. *Absolutum est quod caret respectu ad aliud*; ut cum aliquid per præcisionem intelligitur sine altero in se solo; *Respectivum quod habet essentiam ad aliud respicientem*, sive terminatam; undè & *Relativum & ad aliquid dicitur*:

C

idq;

idq; non tantum *predicamentaliter*, quod totum terminatur ad aliud; ut Pater, ad filium, &c. Sed & *Transcendentaliter*: quomodo omne Ens aliquo modo *respectivum* esse potest, vide num. 105.

138. Sic igitur *Respectiva* sunt 1. *Principium & principiatum, & causa ac causatum*. Principium est primum illud unde aliquid procedit, sive *in fiendo*, ut fiat; sive *in essendo*, ut sit; sive *in cognoscendo*, ut intelligatur. Summè primum est Deus: *Principii origo nulla: nam ex principio oriuntur omnia; ipsum autem ex nullâ re aliâ*, Cicero.

139. Latius patet vocabulum hoc quàm *causa*: Itaq; aliud dicitur *principium causale*, quod est vera causa influens esse in aliud; aliud *non-causale*: Sic rejectum fuit illud Arii: *omne quod natum est, habet principium*, Ambros. 2. Fide ad Gratian. c. 5. Filius enim Dei non habet principium causale, sed est *principium de principio*.

140. Distinguitur etiam inter *principium quod & quo*: *Quod*, suppositum est, agens vel patiens; *Quo*, pars est, vel ratio, quâ mediante illud agit vel patitur: Sic homo cognoscit, aut vult aliquid; illud mediante intellectu, hoc voluntate.

141. *Principium non est necessariò realiter vel essentialiter distinctum à principiato*: Prius tamen est principiato, non naturâ, aut tempore, sed *ordine & origine, & prioritare naturalis enumerationis*. Apparet utrumq; ex attributis divinis, inter quæ datur prioritas aliqua principii, ut infinitas essentia est principium infinitæ potentia; & tamen omnia eadem

dem divina essentia ac simul sunt: Sic Pater est principium Filii & Spiritus Sancti, ac prima Persona in Trinitate.

142. *Caussa* verò est principium per se influens ad esse *caussati*, sive communicans alteri ut sit: *Caussatum* quod ab alio per talem influxum pendet.

143. Definitum autem est *Caussa* vera & univocè dicta: nam *Caussa per accidens* & illa quæ dicitur *Caussa sine quâ non*, æquivocè sic dicuntur: in quibus nulla est ratio *caussandi*, sive potentia agendi, nullaq; *caussalitas*, sive actus secundus, aut actio.

144. *Caussa per accidens* dicitur, quando vel agens aliquid agit; vel *actioni* aliquid adjungitur præter intentionem agentis; non per se sed per accidens: priori modo; ut quando canit Medicus, per accidens, quia & Musicus est; aut quando medetur Jurisconsultus &c. posteriori; ut cum piscator piscatur aureum tripodem, aut si quis domum ingreditur, & simul terra moveatur. Sic per accidens eveniunt, quæ casu aut fortunâ, ut in Phisicis. *Casus* accidit *Caussis* naturalibus; *fortuna* voluntariis.

145. Pertinet huc *Caussa sine quâ non*, quæ est aliqua conditio, sine quâ non sequitur effectus, nullam tamen habens *caussalitatem*; sic Venator ocreatus capit feram; Ignis calefacit aquam propius admotam. Item *caussa removens impediens*; ut remotio puris *caussa* est vulneris sanitatis; sectio funis, casus lapidis, qui eo suspensus est.

146. *Causa vera* in genere distinguitur in *In-*
ternam, quæ ad intrinsecam effecti constitutionem
 pertinet, ejusq; essentielle complementum est, ut
materia & forma: & in *Externam*, quæ attingit ef-
 fectum in fieri, non in facto esse, & essentiam ejus
 non ingreditur, ut *efficiens & finis*.

147. *Efficiens* est à quâ res est: *finis pro-*
pter quam; aut cujus gratiâ, est: *materia, ex quâ*;
 & *forma, per quam* res est. *Causatum efficien-*
tis, dicitur *effectum*; *materiæ, materiatum*; *formæ,*
formatum; *finis, finitum*. *Efficiens ædificii, archi-*
tectus est; *materia, lignum, lapides, &c.* *forma,*
structura ad Idæam artificis; *finis, habitatio*.

148. *Causa efficiens* alia est 1. *Procre-*
ans, quæ dat rei esse; vel *conservans*, quæ continuat
 & conservat. *Causa corrumpens* aut destruens,
 non est efficiens rei, sed contrarii: facit enim non
 ut sit, sed ut non sit.

149. *Alia, 2. Universalis*, eaq; vel *Prima*, ut
Deus; vel *Secunda*, ut *Cælum, Sol, &c.* *alia Par-*
ticularis, unius effecti determinatè, ut *Homo*: Sic
Sol & homo generant hominem: ille ut *Causa re-*
mota & universalis, hic ut *proxima & particularis*.

150. Hinc *causarum series & ordo, & cætera illa*
Homericæ: Suntq; *causæ, vel subordinatæ*, in qui-
 bus quoniam non potest dari *processus in infinitum*,
 oportet ad aliquam *Primam subordinantem*, non
 subordinatam, perveniri; quæ ita *perfecta* sit, ut *in-*
feriores sine eâ nihil possint, illa sine his omnia: Sic
 Deus

Deus & causæ secundæ essentialiter subordinatæ sunt, sed Deus his alligatus non est:

151. Vetsunt in istâ serie *coordinate*, ubi *plures stant pro unâ*: hæ propriè dicuntur *Socia*, ut cùm tres equi trahunt currum, qui ab uno nequit trahi. His opponitur *Solitaria* à quâ totus effectus pendet, non concurrentibus aliis ejusdem generis & ordinis ut cùm homo loquitur, equus unus trahit currum: Indè causa solitari: etiam dicitur *ὁλίχη* *Totalis*, *socia μὲν partialis*.

152. Eodem pertinet distinctio inter causam *Remotam* & *Proximam*. ut inter *immediatam* & *mediatam*: Sic ignis causa est calefaciens aquam, *mediatione Virtutis*, per calorem suum; & *mediatione suppositi* intermedii, quod est olla, quæ calorem ab igne accipit, & aquæ communicat:

153. Item inter causam prædominantem, *Principalem*, quæ propriè *αἴτιον* & *minùs principalem*, sive *ministerialem*, quæ *συναιτίον*: & *instrumentalem*: est autem *instrumentum* aliud *animatum*, ut *Servus*, equus; aliud *inanimatum*, ut *ferra*, *securis* &c. aliud *ὄργανον*, vel *ἐργαλείον* *efficax* & *activum* per se sub causâ superiore, virtute tamen ignobiliore, nec sufficienti nisi ab illâ elevetur; aliud *ἄσπυρον*, quod *passivum* est, & causa sine quâ non.

154. Est præterea 3. causa aliqua *Naturalis*, cæq; vel *merè talis*, vel *voluntaria*, aut libera; quarum illa agit necessitate naturæ, & ad unum effectû determinata est, ut ignis generans calorem, aut ignem; hæc agit potentiâ rationali, & indifferens est ad opposita, ut homo cùm loquitur aut tacet, &c.

155. Aliqua *Moralis*, quæ in genere morum sic agit, ut etsi effectus non ex Virtute ipsius fluat, ei tamen jure imputetur; de quâ versus:

*Jussio, Consilium, Consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans:*

156. Denique *Causa Naturalis* vel est *univoca*, quæ effectum ejusdem speciei producit, ut homo hominem; vel *equivoca*, contrâ; ut Sol culices.

157. Ad efficientem refertur *movens causa*, sive *impulsiva*, quæ vel est *externa*, *ωγενά* *απειρὸν* non agens; sed *ἀφορμὴ* occasio actionis; vel *interna*, *ὑπονομένη*, quâ igitur efficiens intrinsecus ad agendum: Itâ

Nox, & amor, Vinumq; nihil moderabile suadent.

Item *Causa Exemplaris*, quæ est *Idæa* sive forma in mente agentis concepta, & ejusdem conditio actionem antecedens.

158. *Finis* *ᾧ* Cui propriè est *Objectum* in cuius gratiam agens agit; *ἢ* *cujus gratiâ*, propriè *finis*; Sic Medici, ut *agrò* restituat *sanitatem*. Quia tamen etiam ille movet ad agendum, in cuius gratiam aliquid agitur, idèd & is aliquam finis rationem habet.

159. *Finis* autem alius est *primarius* vel *secundarius*, *principalis* vel *accessorius*; ut discendi, acquisitio disciplinæ aut artis, ad gloriam, & divitias: alius *internus* per se *intentus*, qui & *operationis*; alius *externus*, per se *non intentus*, qui & *operis*, ut est *usus*, aut per accidens *eventus*: Sic faber cudit cultrum, quo

quo effecto acquiescit operæ terminum adeptus; usus multiplex est, per accidens evenit homicidium.

160. In subordinatione finium alius est *intermedius*, alius *ultimus* in suo ordine, aut *simpliciter*: Scholæ frequentantur discendi causâ, discendi finis est eruditio. Simpliciter autem ultimus finis est Deus: *Mundus propter hominem*, ut habet Hermetis Trismegisti sententia: *Homo propter Deum*. Homo omnium finis est *Indigentia*; quia omnibus aliquomodo opus habet: Deus hominis finis est *assimilationis*; hoc enim τὸ τέλος, ἢ ἕξομοιωσις τοῦ θεοῦ, ut cap. I. supra num. 56.

161. Materia dicitur vel *in quâ*, Subjectum recipiens, aut inhæisionis accidentium; vel *circa quam* objectum occupans, aut operationis, adæquatam aut inadæquatam; vide infrâ n. 177. & seq. *velex quâ*, quæ propriè *caussa materialis*.

162. Estq; vel *prima*, quæ & *Elementum* primò dicitur, στοιχείον de quo in Physicis; vel *secunda*: illa simplex est, in purâ potentiâ ad formam & compositum: estq; primum subjectum omnium compositorum, ex quo fiunt, & in quod ultimo resolvuntur: hæc actu existens jam est compositum materiale, ut Corpus hominis, aurum poculi.

163. Reliquæ distinctiones exemplis clarescunt: Ovum est pulli *materia necessaria*, *sufficiens*, sed *transiens*: Farina panis frumentacei materia est *necessaria*, sed *insufficiens*, nam & aquam accedere oportet &c. Aurum poculi materia est *non necessaria*,

cessaria, sed *arbitraria*, *sufficiens*, & *permanens*.
 Materia *Logica* dicitur Genus: *Physica*, substantia
 est sed *incompleta*: *Mathematica* quantitatis ab-
 stractæ est *intelligibilis*, non *sensilis*; nam *lineæ*, &
lineata, *numerusq;* *numerans*, quatenus *von τὰ* sunt
 non *αιδητὰ*, habent partes materiales quibus con-
 stant: reliqua *accidentia* habent ferè materiam in
 concreto, in quo sustentantur.

164. *Forma*, variè usurpatur: Est enim 1.
 quæ dicitur *Forma totius*, scil. ipsa essentia aut quid-
 ditas rei, ut *humanitas hominis*; alia *Forma Partis*,
 quæ cum materiâ, ut *comparte compositum* con-
 stituit, ut *anima cum corpore animal*: & hæc dicitur
forma Physica, huc spectans: in communi tamen
 & *Metaphysicè* forma dicitur ratio quidditatis,
 per quam res est, quod est, sive corpus sit, sive non
 sit: nam & *accidentium forma* est: *Logicè forma*
 dicitur *differentia*, & *species ipsa*, quæ ex genere &
differentiâ componitur.

165. Deindè 2. *Forma* dicitur *alia interna* &
ἰσσιώδης essentialis, ut *anima hominis*, quæ & *ἐντε-
λέχεια* & *actus*: alia *externa*, *accidentalis*, *ἐπισσιώ-
δης essentialiam sequens*; ut *corporis statura*, & *figura*,
 quæ *Prædicamentalis forma Qualitatis* est. Sic
 3. quædam formæ dicuntur *non informantes*, sed tan-
 tum *Assistentes*, & *moventes*; quomodo *Aristoteles*
Intelligentias credidit esse *cælorum motrices*,
 ut *nauta agit navim*, &c.

166. *Forma per se & propriè dicta* est *cujus com-
 pars est materia: qua non habent materiam, nisi se-
 cundum*

cundum quid, non etiam habent formam nisi improprie. Est autem Forma 1. *Substantialis* quæ dat esse substantiale, ut anima; vel *Accidentalis*, quæ accidentale, ut albedo: illa substantia est, hæc accidens.

167. Deindè 2. alia est *Generica*, quæ dat esse Genericum, quod pluribus speciebus competit; alia *Specifica*, quæ dat esse specificum, commune individuis; alia *Numerica*, quæ singularibus propria. Sola hominis anima *immaterialis*, aut à materiâ *separabilis* est; cæteræ formæ *materiales* & *inseparabiles* sunt. *Idea* aut *caussa exemplaris* æquivocè forma dicitur, quia rem producendam non actuat ut sit, sed in solâ potentiâ constituat ex mente artificis.

168. Hæc de caussis, quarum intuitu *Ens* quocquè distinguitur in *dependens* ab alio, & *independens*; in *finitum* & *infinitum*; *creatum* & *increatum*; *generabile* & *ingenerabile*; *corruptibile* & *incorruptibile*; *completum* & *incompletum*; &c.

LECTIO X.

De cæteris Respectivis:

169. *Abstractum* dicitur *nuda forma*, sive *substantialis* sit, ut humanitas, animalitas; sive *accidentalis*, ut albedo, doctrina: *Concretum* verò *forma cum subjecto*, ut homo, animal, albus, doctus.

170. *Abstractio* in genere dicitur unius ab altero separatio, *Realis*, quando v. gr. aurum ab alio metallo

metallo impuriore separatur : Sic *accidentia non possunt abstrahi à substantiis subjectis*; quia *accidentium esse est inesse, aut adesse.*

171. *Mentalis* verò fit per operationem intellectus; eamq; vel *primam*, quando unum sine altero apprehenditur, quæ abstractio vocatur *præcisiva*; vel *secundam*, quando unum de altero negatur, aut etiam oppositum affirmatur; sic de Corvis Islandicis negatur nigredo, affirmatur albedo:

172. *Mentali præcisivæ* similis est quæ *sensu* fit, ut cum visus apprehendit pomi colorem sine odore, & odorem olfactus, sine colore. Est autem ista *mentalis*, vel *Physica*, vel *Mathematica*, vel *Metaphysica.*

173. *Physicus* abstrahit naturam corporis naturalis à materiâ singulari, non re, sed ratione: *Mathematicus* considerat quantitatem abstractam ratione, sive mente solâ, à materiâ sensili quâcunque: *Metaphysicus* Ens ejusq; attributa, quatenus simul re & ratione abstrahuntur à materiâ, vide num. 3 15. 117. De necessario usu horum terminorum, *Abstracti & Concreti, in Theologiâ*, & quidem de Personâ Christi, vide D. Chemnit. de Duab. Nat. cap. 1. & cap. 14.

174. *Subjectum* est, cui aliquid extra essentiam adjungitur: *Adjunctum*, quod tali adjungitur: *Extra essentiam* scil. non quod necesse sit adjunctum à Subjecto semper à parte rei esse distinctum; sed quod ad *primum rei conceptum*: nam adjungi dicitur alicui aliquid, non quod essentiam ipsam

ipsam ingreditur, ut actus aut forma; sed quod rei essentiam sequitur, eiq; accedit & quasi supervenit.

175. Sic ergò adjungitur 1. *Substantia Substantia*, ut in prædicamento *Habitus*, de quo infra: Item anima corpori, & in resurrectione olim corpus animæ: 2. *Accidens alicui accidenti*, ut figura quantitati, habitus animi potentiæ ejus. 3. *Accidens substantia*, ut albedo parieti, doctrina homini. 4. *Attributum Enti*, quod tamen cum ipso realiter idem est: Sic Deus est subiectum suorum attributorum, sine quibus primò concipi potest: Denique 5. *locus est subiectum rei locata*.

176. *Subiectum* 1. aliud est *inexistentia*, cui adjunctum inest, sed non ut accidens; sic ens suorum attributorum: 2. aliud *inhesionis*, cui adjunctum inhæret, ut accidens; ut doctrina homini:

177. Atque hoc vel est *subiectum quod*, sive *denominationis*, quod ab adjuncto denominatur, ut homo à doctrinâ doctus; vel est *subiectum quo*, sive *informationis*, quod ab adjuncto informatur, ut pars, cui primò & immediatè inhæret, ut anima hominis à doctrinâ.

178. Porro 3. aliud subiectum dicitur *adhesionis*, cui adjunctum exterius adhæret, ut vestis vestito, arma armato, phaleræ equo phalerato, aurum poculo inaurato:

179. Denique 4. aliud subiectum dicitur *occupationis*, circa quod adjunctum occupatur, ut visus circa lucem & colorem, scientia naturalis circa corpus naturale: quod *objectum* distingui solet

1. in *adæquatum*, sive totale, & *inadæquatum*, sive

par-

partiale: 2. in *materiale*, quod est res ipsa considerata, & *formale*, quod est modus considerandi; 3. in primum *perfectiōnis*, quod in scientiâ nobilissimum est, & primum *adequationis*, quod est totale. 4. Per se, *primarium*; & per accidens, *secundarium*, quod ex accidenti venit in considerationem.

De *Adjuncto Communi & Proprio*, separabili & inseparabili dictum est supra & dicetur infra, in *Praedicabilibus*, vide num. 130. & 216.

180. Pertinet ad *Adjuncta Entis Signum & Mensura*: de his igitur & relativis, signato & mensurato hîc quoq; agunt *Metaphysici*. Dicitur autem *Signum* quod *aliquid potentia cognoscenti repræsentat*: illud *aliquid* repræsentatum *Signatum* appellatur.

181. *Potentia cognitiva* cui fit repræsentatio, non tantum *intellectus* est, sed etiam *sensus*: ita *Canis* sentit elevato lapide dari signum projectionis, quo viso fugit.

182. Sunt autem *Signa* 1. alia *Physica*, *naturalia*, ut *fumus ignis*, eaq; vel *necessaria*, *τεμπηρα*, ut *fumus*; vel *contingentia*, *ειδητα*, ut si quis concludat; pallet ergo amat:

183. Alia *Thetica*, *arbitraria*; ut *hedera suspensa vini vendibilis*: talia sunt vel *humana*, ex hominum arbitrio & consuetudine, qualia sunt *militaria* & alia *Politica*, ut *artha*, *annulus nuptialis*, &c. vel *divina*, ut *Sacramenta dicta*:

183. Deindè 2. alia sunt *Rememorativa præteritorum*; *Demonstrativa*, præsentium; & *Prognostica*

gnostica futurorum : Sic S. Eucharistia memoriale est passionis Dominicæ, pignus Gratiæ præsentis, & arrhabo futuræ gloriæ. Hùc pertinet *πρόγνωσις* Physica, v. gr. tempestatum, Medica sanitatis aut morborum, &c.

185. Adhæc 3. Signa quædam sunt *Theorica* tantum, nuda, *συμπτωτικά*, significativa; quædam etiam *Practica*, *μετέδοτικὰ*, effectiva, & exhibitiva. Talia sunt Sacramenta, ut Baptismus regenerationis.

186. Pertinent hùc *Nota*, *imagines*, *Typi*: Prædicatio verbi & administratio Sacramentorum, sunt Notæ Ecclesiæ: Filius Dei est Imago Patris *ἰμοδοί*: Isaac Typus Christi, &c. Item *Nomina* & *Vocabula*, de quibus num. II.

187. Item *Signa*, quæ vocantur, *Doctrinalia*, ut sunt *Conceptus* signa rerum; *Voces*, signa conceptuum; *Scriptura*, signa vocum, de quibus in *Dialect. I.* de Interpret. Deniquè quod alia signa sint *γνωσιματὰ* notificantia, ut notæ Ecclesiæ; alia *μνημονεῖα* commonescientia; & alia *σφραγίδες* obsignantia ac certificantia, ut Sacramenta; & id genus plura.

188. *Mensura* est signum, quo *quantitas* aliterius cognoscitur: tam *molis*, ut cum dico hominem magnum corpore; quàm *Virtutis aut perfectionis*, ut cum dico, magnum animo. *Mensura molis* sunt, pes, cubitus, ulna &c. *Mensura perfectionis* homo dicitur viventium, Deus omnium rerum: sic *primum in unoquoque genere est mensura reliquorum.*

189. Su-

189. Superest inter Respectiva Prius & Posterius : Prius est quod est antè ; posterius, quod post aliud : Simul quod cum alio.

*Tempore, naturâ, prius ordine dic. & honore,
Causatum causato dicimus esse prius.*

Vide Augustin, 12. Confess. cap. 29.

190. Prior tempore est flos fructu, adolescentia senectute; *duratione*, Deus mundo; *σύγχρονα* simul rosæ & lilia, Julius Cæsar & Cicero.

191. Ordo Natura alius est in generatione, alius in intentione: Prior itaque est *ordine natura generantis* materia quàm forma: Contrà *ordine natura intendentis* prior est forma, quàm materia.

192. In divinis Pater filio prior est *ordine enumerationis*, & quidem *naturalis*, ratione originis aut processionis: non prioritate durationis, vel dignitatis, vel etiam naturæ; quia hæc prioritas implicat dependentiam posterioris à priori. Sed in humanis ferè ordo est *ex arbitrio*, ut secundus in choreâ sit prior tertio &c.

193. *Prioritate cognitionis per se* notiora sunt simplicia compositis, causæ effectis, partes toto; quod ad nos, contrâ. *Nam quæ cognitione priora sunt, alia ratione, alia sensu priora sunt: ratione priora sunt universalia, sensu particularia*, Aristot. 5. Metaph. c. II.

194. Deniquè priora etiam dicuntur quædam dignitate, vel æstimo, & quædam loco, sive situ, &c. *Primum deniquè non dicitur quod est solum: nam sequentium respectu primum est: undè*
jocus

jocus Demonactis in quendam, qui se dixerat primum & solum sapientem: *εἰ μὲν πρῶτον*, & *μόνον* *εἰ δὲ μόνον*, & *πρῶτον*, apud Lucian. T. 2. Aliquando tamen *Primus* dicitur, non positivè, vel respectivè, sed solùm *negativè*, qui non habet antecedentem, sic Saræ filius primogenitus & tamen Unicus fuit Isaac.

LECTIO XI.

De Eodem & Diverso.

195. Idem in Metaphysicis respectivè dicitur ad aliud, cum quo convenit: sic diversum quod cum alio non convenit. Dicitur utrumq; vel strictè vel latè. *Strictè Idem est* quod cum alio convenit in tertio aliquo essentiali, & per se est idem, genere, specie, numero: *Latè idem*, quod per accidens convenit, quâdam *ἀναλογία*, ut in quantitate eâdem, quod dicitur *Equale*; aut in qualitate, quod *simile*. Sic *strictè diversum est*, quod in nullo convenit; *latè* quod in aliquo.

196. Vel; Eadem dicitur 1. *absolute*, ut homo & animal rationale, ensis & gladius; 2. *relativè*, ut v. gr. aureus calix & annulus sunt idem *materialiter*; duo medicamenta purgantia, idem *effectivè*; Musicum esse & Physicum, idem *subjectivè*; &c. 3. *Comparativè*, ut quæ conveniunt numero, *Paria*; quæ magnitudine, *equalia*; quæ qualitate, *similia*.

197. *Diversa* tot modis dicuntur, quot Eadem. Ex eorum consideratione oritur distinctio & oppo-

& oppositio. *Distinctio alia realis est, alia rationis: illa est eorum quæ multa sunt ante mentis operationem distinguentem; hac eorum quæ ante hanc operationem sunt unum, non multa.*

198. *Realiter distinguuntur, quæ re differunt, ut aliud & aliud; quare de se invicem non possunt affirmari, nec sibi subordinari, & vel actu separata sunt, vel separari possunt, itemq; definitione: ut homo & bestia, lapis & planta, equus & asinus, Petrus & Paulus, albedo & dulcedo, &c.*

199. *Ratione distinguuntur, quæ cum unum sint re, nostro concipiendi modo ut plura apprehenduntur, & solo conceptu formali differunt: Fit autem hoc vel ratione ratiocinante, cum solo conceptu distinguuntur, quæ planè sunt eadem, ut in Divinis essentia, natura, vita; vel, ut Scholastici loquuntur, ratione ratiocinata, cum in re aliquod est fundamentum; sic attributa divinæ essentiæ idem sunt, ad extra ab effectis distinguuntur, ut iustitia & misericordia.*

200. *Additur à recentioribus quibusdam distinctio modalis, quæ tamen ad realem, sive ex naturâ rei, refertur. Sic realiter primò differunt calor & frigus; modaliter, calor intensus, à remisso; aqua tepida à calidâ.*

201. *Oppositio est diversitas cum pugnâ, eorum quæ definitione distincta sunt: Est autem talis pugna vel inter multa, ut sunt species disparatæ, homo, equus, Leo: vel inter duo tantum, quæ perfecta oppositio est: Eaq; duo vel sunt positiva, sive contraria, ut calor, & frigus; sive relativa, ut Pater & filius;*

filius: vel sunt duo *negativa Contradictoria*, ut homo, non homo; aut *privativa*, ut Lux & tenebræ.

Atq; hæc aded sunt *præcipua Entis attributa*.

SECTIO IV.

De Entis quasi Speciebus,

ἐπιθεωρεῖται.

LECTIO XII.

De Summis rerum Generibus, & in specie de Substantiâ.

202. Hactenus *de Ente Transcendentaliter* spectato actum est, quatenus, per præcisionem intellectus, ab omnibus rerum speciebus abstractum, modos tantum vel attributa habere apprehenditur, non & species:

203. Deus itaq; & creaturæ, ut & Substantiæ & Accidentia, non sunt veræ *Entis*, tanquam Generis generalissimi, *species*: neque Ens de istis Univoerſe prædicatur, sed per *ἀναλογίαν*.

204. Hæc igitur analogicâ rerum omnium consideratione, descendit Metaphysicus quoq; ad contemplationem *certarum classium*, in quibus omnium *species*, vel quasi, aliquâ ratione ponuntur, *distinctâ serie à summis*, per media ad infima usq; disposita.

205. Hæ *Classes rerum Prædicamenta* dicuntur, quia in Dialecticâ ostendunt, *quam de quibus, & quâ ratione, prædicari possint ac debeant?*

D

ut

ut ex Typo Substantiæ mox apparebit, vide mox num. 208. & seqq. ut & 219.

206. Sunt autem *Classes* istæ, sivè *Pradicamenta*, antiquissimâ & communissimâ distributione, **DECEM**: 1. Continet Substantias, res per se subsistentes: Reliquæ *Accidentia*, quæ istis accidunt. Horum alia sunt potiora & *primaria*: eaq; vel *Absoluta*, consequentia substantiæ materiam, ut 2. *Quantitas*, aut formam, ut 3. *Qualitas*; vel *Respectiva* ad alia, ut 4. *Relatio*:

207. Alia sunt *Secundaria*, quæ ex prioribus oriuntur; ut ex qualitate, 5. *Actio*, & 6. *Passio*; ex quantitate, 7. *Quando*, & 8. *Ubi*; ex relatione, 9. *Situs* & 10. *Habitus*. Hæc igitur Decem Summa rerum genera sunt:

208. Quamobrem quæcunq; vel sunt, vel esse, aut tantum cogitari possunt, in harum Classium aliquâ *poni possunt*, modo tamen diverso: alia *per se*, & *directè*, ut sunt entia *per se*, *finita*, *realia*, *positiva*, *completa*, *univoca*, *naturalia*; cætera, quæ vel omnes classes *transcendunt*, ut Deus & quæ *transcendentia* dicuntur, de quibus huc usque; vel propter imperfectionem suam *infra* has classes *descendunt*, ut sunt entia *per accidens*, *rationis*, *artis*, *incompleta*; vel *ad unam classem* referri nequeunt, ut *complexa*, de quibus omnibus *suprà*; vel non veniunt in hunc rerum censum, vel *indirectè* & *per reductionem* referuntur.

209. Sunt autem illa quæ ponuntur; primò & *per se*, quatenus *Metaphysicis* considerat, *Res* ipsæ;

ipsæ; nam *Rerum* hæ *Classès* sunt: Sed ut *Dialecticus* ex his *Classibus* enunciationes fabricat, termini quoque & *rerum notiones* sunt; undè hæ *Classès* etiam *Pradicamenta*.

210. Hinc *distinctio* horum terminorum: alii enim tantum *Subjicibiles* sunt, de quibus alii prædicari possunt, ipsi de alio nullo, ut sunt termini individui, *supposita* dicti: v. gr. Petrus, hic Equus, hæc albedo: Talium, quippe singularium, nulla est scientia:

211. Alii autem tantum *Pradicabiles* sunt, ut ipsa hæc *summa genera*: inter hos *medii* sunt, qui & de inferioribus prædicari, & superioribus subjici possunt. Undè intelligitur, quid sint quæ à Logi- cis vocantur *Pradicabilia*?

212. Sunt enim propriè Quinq; voces rerum Universalium, quæ ut pluribus inesse aptæ sunt, ita & de pluribus prædicari possunt: ut *Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens*.

213. Genus est quod de pluribus, & quidem specie differentibus, in questione, *Quid est, predicabile est*. Γένος ἔστι τὸ πλεῖστον καὶ διαφερόντων τῶ ἐιδῶ, ὃν τῶ τί ἐστὶ, κατηγορούμενον, ut cum dico; Rosa est flos, ruta est herba, equus est animal.

214. Estq; Genus vel γενικώτατον generalissimum, & summum, quod non potest esse species, ut dictum modò num. 210. vel ὑποάκροστον subalternum, intermedium, quod respectu inferioris Genus est, & respectu superioris species: sic Arbor genus est respectu cerasi, pini, quercus; species respectu corporis vivi, &c.

215. Species est, quod generi subicitur, & de quo genus in questione Quid est predicatur: estq; vel infima & specialissima, prædicabile scilicet de pluribus numero differentibus, scil. individuis; ut homo, de Petro, Paulo, Johanne &c. vel subalterna, quæ modò Species est; modò Genus; ut animal, arbor. Εἶδος ἔστι τὸ ἀτρίμενον ὑπὸ τὸ γένος, καὶ ἔτὸ γένος ἐν τῷ τί ἔστι κατηγορεῖται. Estq; vel εἰδικώτερον, vel ὑπαλληλόν.

216. Differentiã non qualiscunq; sed propria & essentialis, est prædicabile quod de pluribus, specie differentibus, aut individuis, in Questione Quale est, predicatur essentialiter. Dicitur Διαφορεῖ εἰδοςποιός differentia specifica; nam generi addita facit speciem: ut cum dico; animal est vel λογικὸν vel ἄλογον: ubi animalis vox per differentias restringitur ad duas species oppositas, quarum altera homo est, altera brutum. Διαφορεῖ ἔστι τὸ πλείονων καὶ Διαφειρόντων τῶ εἶδος, ἐν τῷ ὁποῖόν τί ἔστι κατηγορεῖται.

217. Proprium est quod soli speciei, & omnibus sub eã contentis, ac semper convenit; ut ridere, vel risibilem esse, homini. Dicitur propriè in Quarto modo: nam quatuor modis aliàs proprium quid dicitur: 1. Soli, non omni: 2. non Soli, sed tamen omni: 3. Soli, omni, hæud semper: vel 4. Soli, semper, & omni: Exempli gratiã: homini proprium est, quod sit 1. Grammaticus, 2. bipes, & 3. canescens, 4. deniq; ridens. De hoc in Attributis supra, num. 118.

218. *Accidens est quod eidem contingit inesse, & non inesse; vel quod adest vel abest præter subjecti corruptionem: de quo deinceps: prædicatur de pluribus in quale accidentaliter, & contingenter. Hæc est Summa Isagoges Porphyrianae. His præmissis:*

219. *Substantia est ens per se subsistens, id est, ut non in alio habeat esse suum, tanquam in Subjecto. Hoc est hujus classis Genus generalissimum, quod per varias differentias oppositas postea dividitur in genera subalterna, & species usque ad individua.*

220. *Sic v. gr. qui latissimè vocabulo hoc Substantiæ utuntur, dividunt in completam & incompletam, quales sunt Materia & forma: Completam in corpoream & incorpoream, quales sunt Spiritus, Angeli, ut Gabriel; Michaël, &c. qui sunt individua, & dicuntur Substantia primæ. Jam Corpora, quæ Physicæ contemplationis objectum sunt, vel simplicia sunt, ut Cælum & elementa; vel mixta, ut elementata: eaq; vel imperfecte mixta, ut Meteora; vel perfecte, quæ rursus vel inanima vel animata: inanima, fossilia, Metalla, lapides &c. animata, plantæ, animalia bruta, rationalia: sic descenditur usque ad singularia, sive individua, ut sunt; hoc aurum, ferrum, hic adamas, pyropus, hæc rosa, hoc lilium, hic piscis, hæc volucris, hoc insectum, Petrus &c. Hinc ergò Physicus accipit suum objectum.*

221. *Atq; hinc apparet, quæ Prædicat'*

D 3

silium,
tium

tum in hoc, cum in cæteris prædicamentis, *utilitas* sit? 1. *in divisionibus*; nam genera per differentias in species distribuuntur; ut animal per ἀλογον εἶναι καὶ λογικόν, in brutum & hominem: 2. *in definitionibus*; nam si generi addatur differentia, species definita est; ut homo est animal rationale:

222. *Proprietates Substantia* ab Aristotele recensentur hæ: 1. *Non esse in subjecto*; quo differt ab accidentibus: 2. *prædicari*, de substantiis primis scilicet *univocè*, quod proprium est Secundis, sive Universalibus: 3. *Significare hoc aliquid*, rem singularem quod primis proprium: 4. *Nihil esse contrarium*, per se scilicet adverstativum: 5. *Posse tamen sine sui mutatione recipere contraria*, ut eadem numero aqua frigus & calorem: 6. *Non recipere magis & minus*, aut non posse intendi ac remitti: Sic homo non est magis animal quàm asinus, quamvis sit nobilior animal.

LECTIO XIII. & ultima.

De Accidentibus, eorumq; Novem Generibus.

223. *Accidens est ens quod inest substantia, eamq; afficit, nec tamen de ejus essentiâ est.* Itaq; dicitur *Ens in alio*, & non tam *Eus*, quàm *Entis ens*. Undè ut *substantia prima*, vel singularis, vocatur τὸ δὲ τι, *Hoc aliquid*, hic homo; sic *accidens singularis*, τὸ δὲ ἐν τῷ δὲ, *Hoc in hoc*; hæc albedo in hoc pariete.

224. *Accidens I. potest adesse vel abesse citra*
corru-

corruptionem subjecti; ratio; quia non est de ejus essentia: 2. *non habet materiam ex qua*, nisi intelligibilem, analogicam; ut Syllogismus terminos & propositiones, triangulum lineas; *habet tamen improprie dictam, in qua, & circa quam*. 3. *Non potest per se producere substantiam*; potest tamen virtute substantiæ; scil. agentis principalis, aut formæ substantialis: 4. *Non est subjectum aliis accidentis* quod, sed quo: nam mediante v. gr. superficie accidit color parieti. 5. *Unum numero non migrat de subjecto in subjectum*; id est, non potest esse in duobus subjectis numero diversis; ut hæc albedo in hoc & in illo pariete: 6. *Quicquid Enti advenit in actu, scil. completo, est accidens*.

225. I Genus accidentium est *Quantitas*, quæ est *accidens absolutum*, per quod *substantia extensa*, aut quod idem est, *quanta est*, ut habeat partem extra partem, & ad eam mensurabilis ac divisibilis sit.

226. *Quantum* aliquid dicitur vel immateriale, *quantitate tantum intelligibili*; sic Angeli ab intellectu nostro, propter imperfectionem intelligendi, concipiuntur ut magni mole, & quasi partem habeant extra partem: vel materiale, *quantitate sensibili*, quæ materiam sequitur: & hæc *Predicamentalis* est.

227. Deinde *Quantum* dicitur vel perfectione aut virtute; sic Deus magnus est, & alia intensivè quanta, gradu perfectionis, ut cum *Cor hominis minimum* dicitur & *maximum*; illud mole, hoc vir-

tute: vel *mole*, magnitudine *extensiva*: de hâc Quantitate hîc agendum est, altera ad qualitatis prædicamentum spectat, aut reducenda est. *In iis qua non sunt magnâ mole, hoc est majus esse, quod est melius esse, Augustinus.*

228. Est autem *Quantitas* prædicamentalis, *extensiva vel Continua*, cujus partes communi termino copulantur, ut magnitudo; *vel discreta*, ut numerus. Atque hûc est *objectum Mathematicæ scientiæ*, de quâ cap. seq.

229. *Quanto*, I. quâ tale est, scil. *extensivum, nihil est contrarium*, quod adversetur, aut vim habeat expellendi quod adversum est: nam 2. *quantitatis nulla est actio*: pendet enim à materiâ: 3. *Non recipit magis & minus*; nam etsi linea decem pedum *Major* sit, quàm duorum; non tamen intentione sui & formaliter *magis* quanta est, aut magis linea. 4. *Quanto proprium est ut possit esse æquale vel inæquale*. Alias affectiones *Quanti* demonstrat *Mathematicus*, de quibus breviter, pro instituto, suo mox loco.

230. II. *Qualitas*, est *forma quedam accidentalis, per quam substantia, cui inhaeret, Qualis denominatur*: idq; *vel simpliciter*, cum inest *satis intense*, quod ad gradum; *satis extensè*, quod ad partes; *satis protensè*, quod ad durationem; *vel secundum quid*: Sic aqua tepefacta dici potest calida, gradu quodam, non simpliciter; *Æthiops albus dentes*; *pallidus rubicundus*, propter *repentinam erubescenciam*.

231. *Quæ-*

231. *Qualitas* 1. *recipit magis & minus, potestq;* intendi & remitti: 2. *Una alteri contraria est*, ut sese mutuò ex subjecto expellant: 3. *efficit ut aliquid dicatur simile aut dissimile*: 4. *Per qualitates suas substantia est efficax, eaq;* sequuntur formam. Itaq; 5. *Qualitas quantitate nobilior est, hæc tamen illâ prior naturâ.*

232. *Species ejus sunt Quatuor, sed combinatæ*: 1. *Habitus & Dispositio*: 2. *Potentia naturalis, & impotentia*: 3. *Patibilis qualitas, & Passio*: 4. *forma & figura.*

233. *Habitus est qualitas stabilis & firma, naturalem subjecti potentiam ad operandum facilitans*: *Dispositio habitum præcedit, ejusq;* initium est. Ergò 1. *omnis habitus est operativus, sive ad operandum aliquid ordinatus*: 2. *Alicui naturali potentia, ut principium quoddam secundarium ad facilius operandum, superadditur*: 3. *ubi talis potentia non est nec habitus esse potest*; ut in asino ad lyram, in equo ad volandum: possunt autem in brutis quòq; quidam quodammodo habitus poni; quanquam propriè non sint, in ἀλόγοις.

234. *Sunt autem habitus alii infusi, ut θεόδοτοι, fides, spes, charitas; alii acquisiti per crebros actûs: & hi vel corporis qui per corpus exercentur, vel animi solius: horum alii sunt intellectuales, alii morales; contemplativi, vel activi, de quibus supra Cap. I. de Encyclopædiâ n. 9. & seqq. De Moralibus, Virtutibus & vitiis, agit Philosophia Moralis.*

235. *Potentia naturalis ad agendum inge-*
D 5
nita

nita est qualitas; in quo ab habitu & dispositione maximè differt. v. gr. in homine est *docilitas*, quæ est potentia naturalis & *dispositio* quædam non usu acquisita, sed *connata*: huic contraria est *naturalis indispositio, indocilitas*, quæ dicitur *impotentia naturalis*. Si ad $\Phi\acute{\upsilon}\sigma\iota\upsilon$, naturæ aptitudinem, accedat studium, $\text{Μαθ\acute{\eta}\sigma\iota\varsigma}$ καὶ $\alpha\acute{\iota}\sigma\kappa\eta\sigma\iota\varsigma$, fit dispositio acquisita, habitus rudimentum, & tandem ipse habitus. Referuntur huc & aliæ potentia, partim *Activa*, ut in igne urendi; partim *Passiva*, ut in ligno recipiendi figuram aut formam aliquam.

236. Sunt autem *Potentia* naturales aliæ *occulta* per $\sigma\upsilon\mu\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$ aut $\alpha\acute{\nu}\tau\iota\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$, ut in magnete tractiva ferri, in Lupis & Agnis discordia, quæ etiam in fidibus, ex eorum intestinis factis, manere fertur; aliæ *manifestæ*, ex q; vel pluribus *communes*, ut in omnibus gravibus tendendi deorsum ad centrum; vel *propria* speciei, ut in homine ridendi, in cane latrandi. Huc pertinent *potentia anima* vegetativa, sensitiva, & rationalis; de his agit in primis *Philosophia Naturalis*.

237. Qualitas patibilis est affectio quæ primò & per se afficitur sensus, sive quæ passionem infert sensui, & consequenter appetitui: hæc affectio cum citò transit *passio* dicitur, ut rubor ex obortâ verecundiâ, pallor ex metu,

238. Differt patibilis qualitas à potentiâ naturali, quòd hæc per se ad operandum ordinatur; illa subjectum per se afficit, & concomitanter in sensibus aliquam passionem efficit. Tales qualitates sunt
sensiles,

sensiles, objecta sensuum: *visibilia*, lux & color; *audibile*, sonus; *odorabile*, odores; *gustabile*, sapor; *tactilia*, calor & frigus, humiditas & siccitas; ex quibus oriuntur, raritas, densitas, duritia, mollities, crassitudo, subtilitas &c. de quibus *Physicus*: Item, desiderium, fames, sitis, dolor, voluptas, & *affectus* in appetitu sensitivo, aut concupiscibili, & intellectivo, spes, metus, ira, odium &c. de quibus *Theoreticè Physicus*, *Practicè Ethicus*.

239. *Forma & figura* qualitates sunt corporum externæ, ortæ partim ex partium quantitativarum determinatione aut delineatione; partim ex earundem dispositione & proportione, cum differentiâ lucis & coloris; undè *formosi* denominantur & *deformes*, Naturâ vel arte: *Discrimen* vix ullum, etsi dicatur:

Formam viventis, picti dic esse figuram.

De his in genere agit *Mathematicus* in lineis, angulis, superficiebus, & corporibus schemata regularia vel irregularia contemplan.

240. III. *Relatio* est accidens reale, *quædam* aut habitudo quædam, per quam unum ad aliud refertur. *Relata* sunt quorum totum esse est ad aliud referri.

241. *Omni*bus quidem *absolutis entibus* potest *relatio* accidere: *omnia enim aliquâ ratione se respiciunt*, v. gr. ut *caussa & effectus*, *substantia & accidens*, &c. Sed non *omnis respectus* est *relatio Prædicamentalis*; verùm ille tantum, qui est inter duos terminos, quorum totum esse est relativum ad alterum.

242. Non

242. Non igitur huc pertinent, quæ *relata* dicuntur *per accidens*, secundum dici tantum, & non *mutua*, scil. quæ per se aliquid absolutum sunt, & citra respectum ad aliud, ut scibile, sensibile, quæ etiamsi nec scientia sit, nec sensio, sunt aliquid: sed ea tantum quæ tota per se *relata* sunt, secundum esse, & *mutua*, ut se ponant & tollant, ut Pater & filius, maritus & uxor, præceptor & discipulus, quorum alterum quicquid est, alterius est.

243. In tali relatione est 1. Subjectum, 2. fundamentum, 3. Terminus: *Subjectum*, cui inest, & *Quod* denominatur à relatione; ut Abraham Pater à paternitate respectu Isaaci: *Fundamentum* est accidens quoddam absolutum, v. gr. quantitas, aut qualitas, actio aut passio, cui relatio innititur, & si in actum hoc deducatur, oritur relatio; quæ dicitur ratio fundandi: Sic in Abrahamo est potentia generandi, quâ in actu positâ fundatur ejus paternitas. *Terminus* à quo *relatum* dicitur, Pater; ad quem *correlatum*, Filius.

244. His relatis prædicamentalibus proprium est, 1. *Quod sint simul naturâ*, 2. *se mutuo ponant & tollant*, affirmato scil. uno, affirmetur & alterum, & contrâ: 3. *se in vicem desiniant*, cognitoq; uno cognoscatur & alterum.

245. Quibusdam accidit *contrarietas*, & ut recipiant magis ac minus, non quâ *relata* sunt, sed quatenus fundamentum est in Qualitate: Indè *Relata* scholasticè dicuntur alia *equiparantia*, inter quæ æqualitas est & similitudo, ut inter amicos: nam *amicitia aequales aut accipit aut facit*: alia *disqui-*

disquarantia, ubi contrà inæqualitas & dissimilitudo, ut inter Dominum & Servum.

246. IV. *Actio* est forma à quâ denominatur agens: vel est motus ab Agente in Patiens, quo dicitur aliquis aliquid agere. Cæterum *prædicamentalis actio* est propriè transiens, sive *transitiva*, quæ reverâ mutationem infert patienti, ut calefactio: nam actiones immanentes, sive *intransitiva*, ut intelligere, velle, sentire, &c. reductivè tantum huc pertinent, aut latius accipiendum est vocabulum actionis, ut in priore descriptione.

247. V. *Passio* est receptio motus agentis in patiente, quod indè pati dicitur. Requiritur itaq; hic 1. *Agens*, ens aliquod actuale, 2. *Patiens*, ut subjectum recipiens, 3. *Potentia* aut *vis agendi* in agente necessaria & sufficiens, ἐπέγεια: cui respondet 4. *potentia recipiendi* in patiente, ut capax sit: 5. *Actio ipsa* agentis, sive motus à termino à quo, ad quem: quæ fit per aliquem *contactum*, corporalem aut virtuales: 6. *Medium* per quod ab agente tangitur patientis, quod & debite propinquum, & dispositum esse oportet, ne sit actioni impedimento: 7. Tum si nihil impediat porrò sequitur *Terminus & finis*, ἐπέγεια, formæ alicujus introductio & receptio à patiente: Sic 1. ignis, 2. in aquam, 3. vi caloris sui, 4. quem aqua recipere apta est, 5. per calefactionem activam, & contactum, 6. medio interveniente aëre, & vase, 7. nisi impediatur, introducit calorem.

248. 1. *Agere & pati recipiunt contrarietatem*,
itemq;

itemq; gradus, *magis ac minus*: per qualitates, ut calefactio & frigeffectio, per calorem & frigus. 2. *Receptivum non recipit juxta modum imprimentis, sed juxta modum suæ receptivitatæ*: Sol emollit & liquefacit ceram, non lapidem, qui mollitiem nequit recipere. 3. *Actiones sunt suppositorum*; denominativè: nam effectivè sunt à formis eorum: Sic homo dicitur generare, ut principium quod; sed per potentiam naturalem, quæ est principium quo: 4. *Nulla substantia, prædicamentalis scil. agit immediate, actione puta transitivâ, & transmutativâ, in quâ concurrunt agentis conatus, & vis activa, & resistentia patientis. Ex hâc resistentiâ oritur reactio, quâ patiens vicissim agit in agens, ut hoc quoq; aliquid patiat: hinc lassitudo agentis, & cum venterculus vinum concoquendo calefacit, vicissim ab eo calefit.*

249. VI. Quando est accidens rei durationem significans, quando fuerit, sit, aut futura sit? heri, hodiè, cras, &c. Deo tribuitur *æternitas*, quæ caret principio & fine, totaq; simul & indivisibilis est, ac omnibus temporis differentiis coexistit: est enim punctum ambiens omnia tempora. Sed hæc Prædicamenta transcendit: Spiritibus competit *ævum*, creatum, sed indivisibile & interminabile: corporibus *Tempus*, quod est mensura motus, secundum prius & posterius, de hoc & sequenti *Physicus*, qui & de Actionibus naturalibus, ut *Ethicus* de moralibus.

250. VII, Ubi est accidens per quod res præsens

præsens dicitur esse alicubi. Deo non competit ubi prædicamentale, qui ubiq; est *repletivè*: Spiritus sunt alicubi *definitivè*, citra extensionem sui, ut toti sint in toto, & in quâlibet parte sui Ubi: Corpora sunt in loco *circumscriptivè*, cum extensione sui, ut tota sint in toto suo spatio & partes in partibus. *Quando & Ubi nec contrarietatem admittunt, nec magis aut minus*, ut nec *Tempus* nec *locus*, quæ ad *Quantitatem* referuntur.

251. VIII. Situs est positio partium corporis cum respectu ac ordine ad suum Ubi; estq; vel *naturalis*, ut v. gr. capitis sursum, pedum deorsum; vel *voluntarius*, ut stare, sedere, jacere, in homine &c.

252. IX. Habitus est quo adjacentia corporis ad corpus significatur: quando scil. corpori corpus aliud adjacet, vel *naturale*, vel *artificiale*, tunc dicitur *habere*, ut homo capillos, piscis squamas, avis pennas: *habitus* igitur est, esse capillatum, squamosum, pennatum, vestitum, inauratum,

de albatum. Satis de *Metaphysicis*;

Methodum & usum indicavi
in *Topicis*.

F I N I S.



1711
1712
1713
1714
1715
1716
1717
1718
1719
1720
1721
1722
1723
1724
1725
1726
1727
1728
1729
1730
1731
1732
1733
1734
1735
1736
1737
1738
1739
1740
1741
1742
1743
1744
1745
1746
1747
1748
1749
1750
1751
1752
1753
1754
1755
1756
1757
1758
1759
1760
1761
1762
1763
1764
1765
1766
1767
1768
1769
1770
1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800

1711

1712



JK 36



ULB Halle
005 129 710


3



V3 12

ME





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black




2
EPITOME
ET APHYSICÆ

optimis auctoribus selectæ,

pro Juventute

GNASII RATISPO-
NENSIS.



NORIMBERGÆ,
Johannis TAUBERI,
CHRISTOPHORI GERHARDI.

ANNO M. DC. LXIV.